

Venerabili Magistro Johanni Hefse Canonico Nifensi,
nobis charissimo.

Respondissemus literis tuis, charissime Hefse, altera die pri-
usquam nobis redita fuere, sed tanta fuit magnitudo et
cumulus negotiorum, ut etiam necessario otio ac quieti vix
locus haberetur, boni ob id consulas. Libellum pro duce nostro
Joachimo toties promissum tibi mittere non potuimus. Nifsa
enim relictum est per nos, non quidem incuria, sed oblivione
quodam, non tamen desidia. Ligna pro Plethorio duce reddita
comportata sunt, speramus propere adventura. Nec est no-
bis de hac re minima sollicitudo, ut optimo Principi possimus
ea saltem per te gratificari. Cum primum in nostra potesta-
te fuerint, reddemus vos certiores, vos itidem, ubi aliquid ex
Noriberga venerit, facere curetis. De Jeroslao nostro nemo
mentionem fecit, nec scimus, quorsum tandem cum optimo
ac innocenti puero parens ipsius declinabit; superemus ut
nobiscum adhuc esset. Commendabis nos Davidi utriusque Regis,
et valebis. Data Nifsa Sabbato ante Hedvigis. 1577.

Johannes S. G.
Episcopus bratislaviensis.

Johanni Hefse.

P. D. Audiveram olim Hefse, cum apud Bructeros septentri-
onales vitam agerem, virum te esse doctum et magno spei
juvenem. Idque ut verum esse crederem fidem fecit quoddam
elegans tua ad me scripta epistola, eaque erat mea de te ab-
sente estimatio, ut non solum te ob eruditionem tuam sin-
gularem, sed et commune nomen amarem vehementer.
Nuper vero, cum te non vidissem solum, sed et conversissem
Ephordis familiari symposio, omnia mihi fama in te
majora visa sunt; eruditionem laudo. Eloquentiam sum